



502.

6

EX  
THEOLOGIA NATVRALI

De  
CONCVRSV DEI,

PRÆSIDE  
M. IO. CHRISTIANO BVCKIO,  
Grafenh. Sax. Alum. Elect.

RESPONDENS  
IO. PAVLVS FORBIGERVS,  
Aurobaco - Variscus,

*cl* *Id* *IC.* *XII* *Calendas* *Octobreis*  
publice disputabit.

---

VITEMBERGAE,  
Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

*Suppl*



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS, ATQVE ERVDITIONE, PRVDENTIA  
VSQVE RERVM MAXIMARVM SPECTA-  
TISSIMIS

Clarissimae Civitatis Torgensis  
Proceribus & Patribus,  
**DOMINIS COSS. SYNDICO**  
ET  
**CETERIS ORDINIS SENATORII**  
VIRIS GRAVISSIMIS,

*Dominis ac Patronis suis maxima animi  
religione colendis,*

Dissertationem hanc  
*Observantiae debitae legibus inductus sa-  
crum esse jubet*

PRAESES.

## DISSERTATIONIS SVMMA.

I. *Concursus nomen explicatur.* II. *Concursus existentia quibus argumentis nitatur.* III. *Quomodo describatur universe.* IV. *Deus principium quod concursus est, principium quo potentia eius ordinata.* V. *Ille movetur sapientia & bonitate, rerumque conditionum indigentia.* VI. *Ut causis secundis omnibus seu concursibus in omnibus ipsarum actionibus concurrat.* VII. *Si formam spectes, concursu naturali, positivo & coeffectivo, proximo & immediato, simultaneo & cum actione causae secundae identificato.* VIII. *Eo fine, ut agentium commodum, suamque gloriam procuret.*



I.  
Rduum & magnum esse argumentum, de quo dissertationem inscripsimus, sapientum omnium, licet super ipsa re in contrarias partes distractorum, communis & constans sententia est. Quod ergo, quo felicius rimemur, & quicquid habet obscuritatis & tenebrarum, quoad ejus fieri potest, discutiamus, nihil, unde illud aliquid lucis mutuari potest, praetereundum arbitramur. Hinc non more tantum distincte sua & ordinate pertractantium, sed ipsius rei, quae pertractanda, conditione adducimur, ut vim verbi primum strictim evolvamur, & quae insuper eidem significatione aequiparentur, quaeve minus, consideremus. Cursus, quod notum, proprie velocior motus animantium pedibus gradientium, quo ex loco in locum feruntur. Leve interim momentum nobis adfert, sive ab Hebraeorum *קורס* seu a Graecorum *κῶρος* ducas. Concursum vero esse, cum currendo convenitur, pueris notum est. Sed, quia efficientis causalitas ne quidem in motu, sed actione consistit *Timpter. Metaphys. lib. III c. 2. quaest 46, B. Jac. Martini Dissut. Metaphys. IX q. IV*; tum veto Deus sigillatim corporeus, & ista ratione mobilis non est; concursum hic translate, non proprie, intelligamus oportet. Quemadmodum concurrenti verbum multarum simul causarum exercitium significare dicit *Fonseca in Metaphys. lib. VII cap. VIII q. 4 Sect. 2.* Neque ita tamen satis expedita est vocis ambiguitas, quando late patet ipsa translatio, & vocabulum in plurima migrat. Veteres certe diversis rebus attribuerunt; sic senten-

tias opinionesque concurrere dicebant, consensum significaturi; sic Icti concurrere dicunt idem jus praetendentes, quomodo concursus creditorum intelligendus; sic iidem actionum concursum in litibus norunt. Quin etiam de causa prima cum effatur, non simplex ejus vis est, interdum enim specialem, moralem ac supernaturalem influxum etiam eodem verbo significamus. Nobis in praesenti concursum universalem, generalem seu communem, eumque naturalem, causae primae idoneum, declarat. Vocant vulgo cooperationem, coefficientiam; Scotus l. II dist. XXXVII q. 1 concausationem; alii influentiam communem; B. Secherzerus concursu-influxionem generalem; Theologi etiam ex scriptorum divinitus afflatorum dictione omnipotentiam, vid. *Theol. Saxon. Apolog. Decis. solid. Sect. III cap. IV*, & *nunc ex Act. XVII, 28. vid. B. Stevogtus de Ubiquitate operationis divinae Thes. XXVIII. p. 358 seqq.* Cave igitur, cum *Concursus* dicatur & cooperatio, cum aliquibus praecursum esse putes, vel praecooperationem.

II. Non adeo abstrusus est & a sensu remotus concursus iste, qui vel plerosque homines literarum sanctarum omnino rudes & ignaros non praeteriit, sed saepe ab illis multumque, ubi occasio materiaque tulit, praedicatus est. Aevum antiquissimum, quod sua de rebus naturalibus scita jucundis involvebat fabulis, Jovem de catena aurea suspensum finxit, de quo *Homerus Iliad. lib. I v. 399, & VIII v. 19.* Ut vero non idem sentiant de hoc fabularum veterum explanatores, tamen, si Poetam videamus, remque omnem accurate expendamus, vero forsitan simillimum erit, commentum istud pertinere ad declarandum nexum Dei cum causis secundis, ut doceretur, Numen non tantum astra regere, sed reliqua etiam agentia in ipsa terra ab eodem pendere. Plato, quod persuasus erat, causas secundas dependere in agendo a prima, illas hujus instrumenta vocavit, aliaque egregia de hoc concursu cum primis in *Timaeo* tradidit. Aristoteles *Phys. lib. VII cap. 1 Text. I, Metaphys. lib. II c. 2 t. 6 & lib. XII c. 7. 8* testatum quoque fecit, nihil se dubitasse de ista causae primae virtute atque influxione. *Cicero lib. II de Leg. Sit hoc a principio persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quae gerantur, eorum geri ditione atque numine, eosque optime de genere hominum mereri.* Cum ergo viris istis de concursu hoc constiterit, qui, quae de Deo rebusque divinis cognoverunt, sola natura magistra perdidicerunt, nisi quod haud scio

scio, an ex aliqua cum Judaeis consuetudine nonnulla hauserint: non  
aliena censenda sunt argumenta, quae ratio ad confirmandum cum  
nobis suggerit. Ex quibus quidem, pro spatii a superioribus con-  
cessi ratione, luculentissima recensebimus. Liqvet ex ipsa causae  
secundae natura, quae & in quantum est, & in quantum agit, a Deo  
dependet, cum independenter praeter Deum operetur nihil. Con-  
firmatur item *contrario*; quia enim res quaecumque conditae a Deo  
idecirco demum actionibus desunt, quarum edendarum facultate  
praeditae sunt, quod Deus subtrahit suum influxum; id quod igni Ba-  
bylonico & Soli, Josuae jussu aut precibus potius consistenti, evenit:  
vicissim etiam quod agunt, erit inde, quod Deus largitur concursum.  
Nihilominus apparet idem e *comparatis* h. m. Si ad conservandas res  
necessarius est Dei concursus, perinde vel magis etiam necessarius  
erit ad productionem. Nam aut majus est, aliquid producere, aut  
certe non minus, quam conservare. Audiendi quoque illi sunt, qui  
*amplitudinem divinae potentiae & perfectionis* salvam & integram esse  
negant, sublato influxu ad causas particulares communi. Denique  
maximum nobis praesidium adfert, quod ex sententia contraria multa  
emanant *minus convenientia*. Quod si enim Deus, ut placet nonnullis,  
permittit duntaxat actiones, consequitur illud absurdum, Deum idem  
praestare, nec minus aus majus, cum agit, & cum non agit. Qui ne-  
gant hunc concursum, plurimi a mundi incunabulis extiterunt. Si-  
quidem omnes Athei, ut Dei providentiaeque divinae, ita & illius in-  
fluxus communis veritatem ac fidem suis aliorumque mentibus evel-  
lere conantur. Cainus certe, impiorum parens ac dux, pravi hujusce  
erroris suspitione non vacat, quod explanator Chaldaeus, & cum eo  
Graecus ac Latinus, quanquam praeter Mosis narrationem, non ob-  
scure expresserunt. Philo Judaeus, qui auctor vulgo libri, de Sapia-  
Salomonis inscripti, habetur, competit, aevo suo repositos, qui temere,  
Deo ne quidem attendente, nedum concurrente, se ortos dixerunt. Et  
quis omnes omnium seculorum atheos enumeret? Cum Epicuri di-  
sciplina minime conciliari potest concursus Dei, id quod luculente de-  
cet Cicero: *Epicurei, inquam, Deum feriaturum volunt cessatione torpere.*  
Plinium ejusdem erroris reum facit *H. N. lib. II. cap. XVII.* & loci alii.  
Si vero diligentius observandi, qui ex Christianis hostes sese eidem  
praebuerunt. Quo referas Pelagianos, quos confutat *Hieronymus lib.*  
*contra illos, quod existimarint, posse se sine auxilio Dei curvare digitum,*  
*movere manum, sedere, stare, ambulare;* & alios ap. *August. lib. V. de*

*Gen. ad lit. c. 20 arbitratos, mundum factum a Deo, cetera fieri a mundo, sicut ille ordinavit & iussit; Deum nihil operari.* Durandus Scholasticus, ut loquuntur, realis, sed Thomistis pariter ac Scotistis infensus, qui paulo post Scotum circa initium prope Sec. XIV floruit, in *lib. II sent. dist. I q. 5* causas secundas a natura fat virium habere ad producendos effectus suos sine concursu Dei, contendit, modo conserventur a numine; adeoque superioribus merito accensendus. Hujus causam nostro seculo tuendam suscepit Nicol. Taurellus, Medicinæ Doctor & Professor in Academia Altdorfina lib. de rer. aetern. Part. II q. 451 & alibi, qui insuper conservationem impugnavit a Durando relictam. Maxima animi contentione Durandum defendit Ludovicus a Dola, Monachus Capucinus Burgundus in Opere quadripartito de concursu Dei & creaturæ, existimans, Durandum unum per opinionem suam Jesuitarum & Dominicanorum lites de ratione concursus Dei, de scientia mediâ, de natura libertatis aliisque componere posse. Quibus accedit M. Henricus Kipping. *Instit. Metaphys. p. 95*. Proclives etiam sunt in hanc sententiam Remonstrantes *Apolog. p. 68*, & Episcopus *lib. IV Institut. Theolog. Sect. IV cap. I*. Objicitur, indignum Deo esse, juvare omnes causas etiam vilissimas, & irridendos esse, qui doceant, agere curam rerum humanarum, quicquid est summum. Sed falluntur illi graviter, nec meminerunt, Deo conveniens fuisse, & nihil quicquam diminuisse de ipsius majestate, cum res etiam abjectissimas condiderit. Sic & molestum Deo putant, cooperari quotidianis. At hoc indocte dicitur, quasi Deus ex humili & miseris a hominum conditione metiendus sit. Elegans est *Augustinus de C. D. lib. XII cap. 17: Deus novit quiescens agere, & agens quiescere.* Quod & Cicero probe intellexit, qui, *nihil est, inquit, quod Deus officere non possit, & quidem sine labore ullo lib. III de N. D.* Idem supervacuum esse existimaverunt, ut Dei actio accedat ad causarum secundarum actionem, quibus Deus propterea facultates impertiverit sufficientes ad agendum, ut ipse feriat ab omnibus actionibus operosis, per causas secundas eas perficeret. Enimvero quanquam ita fecerit omnia Deus, ut nihil illis ad suam perfectionem desit: tamen dependentia manserunt, quæ influxu Dei carere nullo modo possunt. Nihilominus illud urgent, divinam cooperationem evertere libertatem humanæ voluntatis, quando, posito illo concursu, necessario agat homo, nec possit non agere; libertatem vero esse, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere & non agere. His ut satisfaceret, praeclare monuit *B. Scheibler.*  
Log.



*Log. P. II cap. III p. 239*, non confundenda esse praerequisita seu *requisita praecedentia* actionem cum *concomitantibus*. Namque libere agunt, qui, positis omnibus ad agendum praerequisitis, indifferenter se habent. Jam concursus Dei comitatur, non praecedit actionem, neque adeo in praerequisitorum habendus numero. Praeterea absurditates parere volunt nostram de concursu sententiam. Cum enim communem esse, & ad actus omnium agentium, quae sunt extra Deum, spectare sentiamus, oportere dicunt similiter pertinere ad actus materiae & formae aut ad nullius plane causae. Causalitas vero materiae & formae cum sit intrinsecus componere, ut partes, ac speciatim ratione materiae recipere in se formam, respectu formae informare & actuare materiam; imperfectionem importat, abs qua abhorret Deus. Ad quod respondent nonnulli, causas non esse subordinatas, nisi ejusdem generis, subordinari itaque Deo, qui materia & forma esse nequit, solam efficientem & finalem, atque ad harum actus eum unice concurrere. Alii satius putant, si dicamus, ad causarum omnium, materiae quoque & formae, actus Deum concurrere, licet non cum omni materiae & formae causalitate propria, recipiendo formam & informando materiam, tamen cum materia sustinendo formas materiales in ipso earum esse, & cum forma continendo materiam in ipso ejus esse, *vid. Petr. Fonseca in Metaphys. Arist. lib. V cap. II q. XII sect II p. 171 seqq.* Nos cum *Thoma P. I c. 44* respondemus, concurrere Deum cum materia & forma, sed efficienter, finaliter & exemplariter tantum, non modo materiali & formali. Objiciunt denique, non datum iri casum & fortunam, si Deus omnia cooperetur, quia nihil temere ab eo fit, cum tamen casus & fortunae nomina, apud ipsos Ecclesiae Patres, doctrina & vitae integritate claros, reperiantur. Sed sciendum, nec dari casum & fortunam respectu Dei, sed tantum ratione nostri & causarum secundarum, quae mente & Patres usurparunt. Impia enim est de Fortuna, Dea, opinio, ob quam caute utendum fortunae nomen. Augustinum ejus propterea poenituit *Retract. lib. I c. 1*, ubi ita: *poenitet me, quod scribens contra Academicos, toties usus sum vocabulo fortunae: video enim homines in pessima consuetudine habere, ut, ubi dicere deberent, hoc Deus voluit, dicant, hoc fortuna voluit.*

III. Paulo ante expositis argumentis nixi non dubitanter affirmare possumus, dari illum Dei concursum. Quem nunc universe exponemus, deinceps partite ac distincte explicabimus. *Est concursus Dei actio potentiae divinae ordinatae, naturalis, positiva, & coeffectiva,*  
*proxi-*

proxima & immediata, simultanea & identificata cum actione causae  
cujuslibet secundae, qua pro sapientia ac bonitate sua rerumque indi-  
gentia ad omnes omnium actiones coinfluit ad suam gloriam agentium-  
que commodum. Quo loco observandum ducimus, esse hanc non  
omnibus numeris perfectam & ex regulis Dialecticis exacte compo-  
sitam definitionem. Tametsi enim propterea concursum Dei, quod sit  
actio per emanationem, non negemus vere esse actionem; quemad-  
modum ea de causa improprie actionem dici arbitratur *Zabar. lib. II  
de mod. demonstr. c. V, Cajetanus in Thomam I Part. qv. XXXIV art. III,  
aliique*: tamen non possumus referre ad categoriam Actionis quando  
DEUS omnem praedicamentalem ordinem superat, atque accidentis,  
quale actio praedicamentalis, expers est. Quocirca Deo actiones tri-  
bui *εἰς λόγους* aut alia saltem ratione, quam creaturis, judicat *Barthol.  
Keckerm. Syst. Log. lib. I cap. X p. 108*. Imitatur interim descriptio posita  
perfectam definitionem. De singulis partibus deinceps.

IV. Nulla causalitas intelligi sine causa potest, a qua est. Con-  
cursus itaque, de quo loquimur, cum actio, atque sic efficientis causal-  
tas sit, efficientem causam seu concurrentem principium necessario sup-  
ponit. Vocatur id causa prima, universalis atque independens. Quae  
appellationes non eandem plane habent vim. Prima, vulgo etiam in-  
creata, dicitur, quae aliorum causa efficiens est, ipsa vero non habet  
efficientem: Universalis dicitur cujus influxus ad effectum aliarum  
causarum efficientium concurrat: Independens, quae in causando non  
dependet ab alia. Solum Deum primam & independentem causam  
appellandum esse, perspicuum putamus. Illud vero in disputationem  
vocatur, deurne alia praeter illum causa universalis efficiens? Peri-  
patetici certe disputant, coelum, astra & imprimis solem esse veram  
universalem causam, idque ducis sui exemplo, qui *Phys. lib. II c. 26 so-  
lem & hominem generare ait, & de Gen. lib. II t. 55 solem auctorem rerum  
procreandarum vocat*. Verum corporum coelestium occultior, ac  
speciatim dicta influentia haud dubie figmentum est, quod olim &  
hodie multis iisque summis viris intellectum. Experientia, qua se uni-  
ce tuetur, elencho non causae ut causae implicata non ab re putatur.  
Persapienter dictum a *Venulamio in Hist. Ventor. ortum vel occasum  
astrorum concomitans potius quiddam, quam causam esse istorum eve-  
nuum*. At lumine & calore astra aperte fortasse agunt in haec inferiora.  
Lumen astrorum plerorumque (multa enim sua distantia ipsam  
etiam oculorum aciem effugiunt) in oculorum sensum agere, cere-

tum; qui agat in alia, non apparet. Calor autem stellarum omnium, si solem excipias, adeo nullus sentitur, ut ipsius lunae proximae nobis, vel objecto speculo caustico, nulla sit efficax virtus ad minimam in thermometro mutationem faciendam. Quod idem in reliquis stellis, quamvis ex se lucentibus, deprehenditur. Solus ergo sol omnia intuens relinquitur. Fatemur, magnam esse ejus virtutem ad juvandas causas plurimas; qua ratione quoque causam universalem secundum quid, si late nomen hoc accipias pro eo, quod non producit quidem effectum, sed quocumque modo aliquid ad eum producendum confert, recte dici, arbitramur: verum si universalis causa tantum ea sit, quae proxime comproducit aliarum causarum effectum, tum equidem sol, ad generationes rerum inferiorum concurrens disponendo materias eorum, nomen hoc non tuebitur, sed Deus, uti solus causa prima & independens, ita & solus causa universalis habendus erit. Naturam nominare Deum ob universalem in rerum naturalium actiones influxum, nihil magnopere vetat; sicut *Jul. C. Scaliger Deum & naturam idem esse* ait *Exerc. CCCVII sect. 29.* Est tamen attendendum, ne multa vocis ambiguitate rapiamur in errorem, ac Deum, naturam naturantem, quam vocant Scholastici, cum natura naturata seu rerum naturalium viribus indocte confundamus, quod pro impietate sua fecit, verbis etiam subdole distinguens naturam naturantem a naturata, *Bened. de Spinoza Eth. P. I de Deo Prop. XXIX p. 26* & alibi. *vid. Senec. de Benefic. lib. IV cap. VII.* Constituto, principium concursus solum esse Deum, videndum porro, a quonam ejus attributo proxime emanet. Impium equidem est, statere quid in Deo, quod non sit ipse Deus: sed dandum tamen hoc mutilae nostrae intelligentiae, ut, sicut attributa consideratione nostra & ab essentia Dei & inter se distinguimus, ita & Deum ipsum, velut Principium Quod, ejus vero aliquid attributum, ut Principium Quo illius concursus spectare liceat. Referuntur opera Dei actionesque omnes ad tria, intellectum, voluntatem & potentiam. Intellectus voluntatisque divinae actus, quibus Deus cognoscit & vult actiones rerum naturalium, praerequiruntur illi quidem ad concursum, quoniam Deus insciens ac praeter voluntatem nihil agit: nemo tamen, quantum recordamur, concursum Dei actualem cum causis secundis intellectionem esse statuit; & graviter errare existimamus eos, qui in volitione collocant. Haec enim, quantum ad substantiam suam, terminatur intra Deum, concursus ad intra idcirco a Scholasticis vocata, & objective tantum ad externa refertur, nec effectum extra Deum positum relinquit. Concursus autem omnia contraria habet. Confundunt hi voluntatem & propositum seu decretum concurrenti cum ipso concursu. Eo nunc certius habeamus, potentiam divinam esse principium, a quo proxime iste concursus derivandus est. Potentia Dei una in se ob alia atque alia conno-

B

tata

rata distingvitur in absolutam & ordinatam sive ordinariam. Haec decretum ordinem & leges ab ipso Deo institutas sequitur, iisque adstricta est, illa secus. Concurfus emanat e potentia non absoluta, sed ordinaria. Qui sensus Scaligeri fuit, cum solitus est dicere, *naturam nihil esse aliud, quam ordinariam Dei potentiam.*

V. Quid inducat moveatque Deum, ut concursu suo juvet rerum omnium, coelestium aeqve ac sublunarium actiones, operae pretium est cognoscere. Tribus quod ajunt, verbis exponam. *Πενυσιεμν seu interna causa ejus sapientia & bonitas est, ωγρατιετινν rerum omnium conditarum conditio & indigentia.* Ubi duo necessario explananda, cur non fecerit Deus res concursu isto non indigentes, tum, nunquid decretum voluntatis de concurrente Dei libertati derogeret? Prius videtur spectare ad quaestionem illam dudum in Philosophorum ac Theologorum scholis auditam, *potueritne perfectior mundus fieri,* quam *Braunius in System. Theol. p. 162* vanam judicat, Philosophi autem ac Theologi, nominatim *B. Dannkauerus Hodof. p. 208* ita expediunt, ut accidentali perfectione concedant potuisse fieri meliorem, essentiali negent. Sed quicquid tandem super hac quaestione constituat, illud constat inter omnes, eo perfectionis non potuisse pervenire quicquam, uti aliquoties monitum, ut independens foret vel in essendo vel in causando. Ens enim creatum, eo quod creatum dicitur, dependet in fieri, atque ejus Esse dependet a creationis quasi continuatione seu conservatione; operari ergo, quod sequitur Esse, necessario erit dependens. Qua ratione creare ens quoquo modo independens, involvit contradictionem, nec cadit in divinam potentiam. Deinde negamus quicquam decedere voluntatis divinae libertati per aeternum de largiendo rebus concursu decretum. Libertas consistit in *αδιαφορία* seu indifferenria ad opposita. Deus autem ut libere decrevit concurrere, ita adhuc potest concurrere & non concurrere. Habemus quoque aliqua omitti concursus exempla in Scriptura diviniore. Probe philosophatur *Jul. C. Scaliger Exerc. CCCLXV sect. 8: Neque ordine disponitur, aut dstringitur ejus potentia, sed ipse ordinis auctor est, cujus ordinis necessitas omnis ab eo pendet. Ipse rebus ordinem praefixit, per sapientiam & bonitatem.*

VI. Ea, cum quibus concurrat DEUS vocantur causae secundae, particulares ac dependentes, imo Scholasticis doctoribus etiam concausae. Hesiodus & Plato cetera omnia hinc eximentes solum coelum atque astra providentiae atque adeo concursui divino reliquerunt. Quam eandem opinionem sectati Sadducaei & R. Moses Maimonides *P. III Doctores sui c. XVII sq.* de rebus sublunariis & vilibus item providentiam & concursum negarunt. Fuisse & Ari-  
elem illo implicitum errore, sicut *Nemesius de Hom. cap. 44* refert, vero non  
fit

fit simile. Quae enim ex libro de Mundo adferuntur, non tantum aliam praeseferunt mentem, Deum scilicet regere omnia praesentem, non ratione essentiali, verum virtutis & potentiae; sed etiam ipse hic liber Aristotelem auctorem habere non videtur. Gravior multo est de Hieronymo, Doctore Ecclesiae maxime docto & pio, disquisitio. Differit hic in *Habacuci*, l. 1, v. 17 ita: *Absurdum est ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quot emoriantur, quae culicum, pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum praedae cedere debeant. Non simus tam fatui adulatorem Dei, ut cum providentiam ejus etiam ad ima trahimus, in nos ipsi injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Non negat B. Hieronymus omnino animantibus brutis rebusque humilioribus providentiam & concursum, sed universa eorum genera & species divinitus utique regi, sustentari & curari concedit, singulis tantum bestis, singulisque aliis rebus non providere Deum, sicuti sigillatim singulis hominibus providet, persuasus fuit, qui adeo nescire putavit Deum, quae per momenta singula nascantur animantia vilia, quae moriantur, quae devorentur a majoribus, nedum ut Deum cum his actionibus concurrere crediderit. A qua sententia, salva nostra in Doctorem sanctum pietate, abire nobis liceat. Tutum est certe affirmare, agere nihil, quicum Deus non agat, nihil agi, quod non a Deo una agatur, ita ut ipsam Christi humanitatem, quippe in se dependentem, ejusque actiones non excipiant sacrae doctrinae interpretes. Omnes ergo omnium rerum actiones huc spectant, at in quantum naturales sunt, naturalis enim concursus est, naturalis itaque etiam sit actio, cum qua concurritur, oportet. In agentibus liberis actio naturalis & libera concurrat, quae quid proinde in illa naturale est, ad illum trahendum. Maximum negotium facillime haec meditantibus actiones malae & turpes. Deum enim sanctissimum cum illis concurrere, non conveniens videtur. Quae res fecit, ut *Petrus Chauvin de Relig. Nat. cap. XVII p. 211. 216* scriberet, *Deum nullo modo cum peccatis nostris concurrere, sed hic plane cessare, ut cui sufficiat, vires ac facultates nostras ferere, ne mundus intereat, aut hebescat; quo ipso accedit Durando Doctores, ut e vadis & scopulis emergant, distinguunt inter actionis materiale & formale. Illud cum naturale sit, nihil repugnare censent Dei concurrentis sanctitati, hoc vero eidem tribui nullo modo posse, sed omne arcessendum ab homine esse. At quid fiet de actionibus iis, quarum ne nomen quidem sine vitio intelligi potest, quales furtum, adulterium, blasphemia & similes? *Petrus Chauvin d. l. p. 213, toti criminosaee actioni defectum tantopere inhaerere ac interfusum esse, ait, ut ab illa nequeat abstrahi ulla metaphysica praecisione ad Dei tribunal.* Ac hanc ob causam distinctionem inter*

B 2

actio-

actionis materiam & formam in crucem abire jubet *ib. p. 190.* Haec varie extricare conantur, maxime vero nobis placet eorum responsio, qui materiale illud dividunt in *proximum & remotum*, atque hoc dicunt operationem, quatenus indeterminata est ad objectum, illud eandem, quatenus determinata jam consideratur ad certam rem. Nam etsi v. g. extensio haec a furto separabilis non sit, atque adeo, qui eam extensionem comproducit, non videatur non posse ipsum furti vitium comproducere: potest tamen extensio eadem considerari praecise, ut nondum ad rem alienam determinata. Atque hoc materiale remotum est, quod hactenus nihil vitii habet, est enim actio naturalis, nec quicquam prohibet, quin eam a formali distingvamus, atque a Deo effici statuamus.

VII. Nunc, quod caput est, videndum, quae illius ratio concursus, ita constituenda, ut ne fraudi sit aut divinae sanctitati, aut libertati hominum. Illud firmatum jam habemus, non voluntatis proxime, sed potentiae actum esse illum concursum. Qui ut plenius porro cognoscatur, exponendum, quem & qualem esse sentiamus. Dicimus ergo 1) *actum esse naturalem, positivum & co-effectivum*, quo Deus per modum causae physicae realiter, vere ac positive co-influit in actionem & effectum causae secundae. Non enim explicandus est per syasionem & dissyasionem, ac similes actus, qui causarum sunt moralium. Neque adeo audiendi sunt ii, qui permissionem definiunt, quia Deus causarum secundarum essentias ac vires nolit destructas, neque earundem actiones impeditas. Hi scilicet actus negativi sunt, & causas secundas in agendo independentes relinqvunt. Sicut vero isti vim concursus divini elevant & extenuant verbis: ita ab eorum errore plus periculi impendet omni prope sapientiae, qui efficacitatem illius nimis augentes effectum causarum secundarum soli Deo acceptum referunt, efficientiam harum nullam esse ajunt, easque vere ac proprie agere negant. Inter quos primi referuntur *Petrus de Aliaco l. 4 sent. dist. I q. 1 & dist. II q. 1 & 3, Gabriel Biel lib. 3 dist. I q. 1 & 3* cum Nominalibus. Aliacensem vero uti excusat *Sarez. disp. XVIII Metaph. sect. I*, ita *Thomas q. 3 de potentia art. 7* Muhammedanis illum errorem impingit. Ab his non longe abest *Avicembron*, qui, referente *Thom. I part. q. 115 a. 1, in libr. Fontis* rebus spiritualibus efficaciam quandam tribuens, corporalibus omnem adimit. Nec omnino ab illis disjungitur *Avicenna l. 9 Metaph. c. 4. 5* corpora in efficiendis accidentibus, non item substantiis, vere agere contendens. Nos affirmamus adversus illos omnes, causas secundas in effectibus suis producendis vere ac proprie agere. Nam causae secundae verae causae efficientes sunt, quales, si non vere agunt, dici non possunt. Deinde qualitates agendi quae facultates rebus dedisse Deus ad aliud intelligi nequit, nisi ut uterentur iis ad agendum. Tum experientia veram propriamque actionem causarum secundarum effatim firmat, quae palam

lam fit, solem utiqve vere illuminare, ignemqve fere urere, ut, debili cerebro esse negantes, pronunciet Averroes. Deniqve sententiam contrariam jugulant falsa plurima inde provenientia. Tam longe se lateqve diffundit error iste, ut nulla prope disciplina sit, cui cladem non minuetur. Dialectices adminiculo nullo indigeremus; quia enim Deus sapientissimus, non mens nostra, ratiocinaretur, erroris, obscuritatis confusionisque nullum periculum foret. Quid fieret de actionibus angelorum & animarum in spirituum disciplina? quid in naturali scientia de corporum qualitatibus & effectibus? quid in Ethicis de libertate voluntatis, virtutisque & vitii ratione? quid in diviniore doctrina de causa peccati? Ecquis par foret recensendis omnibus erroribus, ex illo unico enascentibus? Vnum est, in quo causae suae praesidium maximum positum ducunt, quod videamur derogare potentiae divinae, cui, quasi non per se sola sufficeret ad omnia efficienda, adiutrices demus causas secundas. At vero cujus accusant nos adversarii, ejus ipsos rectius arguere possumus. Nihil agere causas secundas ajunt, ac si Deus non valuisset ipsis indere agendi facultatem. Neque ad potentiam Dei absolutam redit quaestio, quam posse omnia sine causis secundis nemo dubitat, sed de eo dispiciendum annon voluerit Deus pro bonitate sua eam perfectionem largiri, imo potius largitusne sit reapse. Rationes, quibus Avicembron & Avicenna utuntur, & perleves sunt, & dissolutae a *Scheibl. Log. Part II cap. III sect. 12 q. 4 & Metaphys. lib. II cap. III tit. XIX a. 1.* Manet nunc, illum concursum Dei esse actum non unice effectivum, sed coeffectivum. Post haec 2) *actum quoque proximum & immediatum esse*, pronunciamus, quo Deus & per se & per suam virtutem effectum causae secundae attingit. Hoc ut intelligatur, observandum, dici causam aliquam agere mediate & immediate *ratione* aut *suppositi* aut *virtutis*. Agit causa mediate *ratione suppositi*, cum inter ipsam & effectum aliud suppositum intercedit; immediate, ubi non intercedit: Mediate *ratione virtutis*, ubi alia virtus cadit inter causam & effectum, seu ubi causa agit virtute aliena & aliunde accepta; immediate, ubi sua. Concursus est actus immediatus utroque modo, & immediatione virtutis & immediatione suppositi. Concurrit enim Deus tum per se, & sua substantia effectum attingit, non interveniente alio supposito, tum sua virtute; quis enim Deo commodaret agendi potentiam? Quod tenendum & adversus Durandum, Taurellum ceterosque supra memoratos, & contra Cajetanum ac Ferrariensem. Illi mediate, mediatione utraque concurrere Deum docuerunt, quae concurrenti ratio nihil est, nisi nuda conservatio. Hi, nominatim *Cajetanus P. I q. 8 a. 1 Ferrariensis c. Gent. c. 70* immediatione virtutis tantum fieri concursum volunt, ita ut causae secundae Dei sint instrumenta. At enim, dices, hoc modo nihil res creatae agere immediate videntur immediatione

tionem virtutis, quia ipsis agendi virtus omnis divinitus concessa. Libenter & prolixè fatemur, ita fore, si virtus immediata declararet nullo prorsus modo aliunde datam, & mediata quacunque ratione acceptam. Verum jam mediata ea duntaxat est, quam res praeter naturam suam ab externo principio sumit: atque immediata ea omnis, quam aut a se ipso agens habet, qualis solius Dei est, aut aliunde quidem, sed tamen per & secundum naturam suam. Sic omnes creaturarum agendi facultates aliunde nempe a Deo commodatae, sed naturam tamen ingenerate sunt, quibus si agant, nihilo fecius immediate virtutis egisse creduntur. Nec est, quod putes, saepe concursum Dei fieri mediate mediatione suppositi ex Cajetani & Ferrariensis mente, quando homo in codice sacro securis Dei, Attila quondam virga gentium, hodie Turca Christianorum flagellum nuncupetur. Nam haec appellationes inde sunt, quia, sicut istius generis instrumenta non cognoscunt, ad quid adhibeantur, ita etiam improbi, cum actiones illorum ab ipsis ad hominum exitium suamque libidinem satiandam, a Deo vero ad malorum poenam bonorumque salutarem castigationem diriguntur, inscientes instrumenta Dei fiunt. Nec tamen concursus immediatio propterea ullo modo cessat. Quid vero? cum Principum, ut Vicariorum suorum, actionibus Deus saltem mediate mediatione suppositi concurrat. Cum eorum tantum actuum vicarius detur, quibus is, cuius est vicarius, non interest, & quos non attingit. *Vid. l. 4 §. 4 & l. 13 ff. de legation.* Huic dubio facile occurri posse speramus. Ut enim vicarius omnis agit aliena potestate, non aliena potentia: ita cum Principibus, Vicariis suis, Deus summam quidem potestatem, sed non independentem potentiam agendi communicat. Sciendum ergo, duplici ratione spectari posse summorum Principum actiones, in genere naturae & morum. Priori modo, quatenus eliciuntur e potentia seu facultate humana, sunt hominis: posteriori, quatenus eadem proveniunt a potestate summa, sunt Vicarii Dei & Principis ut sic v.g. Pronunciare vel scribere ea, quae fieri interest rei publ. est actio ex habitu prudentiae civilis potentiaque naturali proficiscens: pronuntiatio & scriptio eorundem obligatoria seu legislatio est actio ex summa potestate manans, adeoque haecenus non hominis, ut hominis. Omnes ergo Principis actiones priori modo consideratae sunt ejusdem conditionis, cuius aliorum hominum actiones, adeoque eodem indigent immediato concursu Dei. Denique 3) est *actus simultaneus, qui etiam identificatus est in actu causae secundae*, quo Deus simul cum his atque eodem omnino actu concurrat. Si non est idem, & praecedit, non concursus dicendus, sed praecursus, & necessitabit; Si sequitur, inutilis erit; Si autem comitatur, actio causae secundae non dependet immediate a Deo, sed ab aliquo effectu Dei, id quod absurdum. Mirum si videatur, qui duorum diversorum agentium una numero pos-

fit



fit esse actio, cogites, velim, agentia subordinata esse Deum & causam secundam, quibus hoc tale non repugnat. *B. Stevogt. de Indiffer. voluntat. Hum. Diss. IV. thes. XXXIII. seqq. p. 647.* Quod si dubitare perseveres, actionem creatoris & creaturae identificari non posse, teneas, actionem creatoris & creaturae ut sit, seu formaliter & reduplicative sumtam, identificari non posse, posse tamen materialiter utriusque eandem esse actionem. Quomodo, urgebis forsitan, actus concurrere dicitur cum eo, a quo diversus non est, quum una res secum concurrere, nec quicquam sibi comes esse queat? Respondemus, concursum dici inde, quod duae sint causae concurrentes, non quod duae diversae concurrenti actiones, *Henr. Muller. Theolog. Scholast. cap. XIIX. p. 226.* Nobiscum sentientem Svarenum, unam esse actionem Dei & causae secundae, praeter rem castigant Franc. Alvarez & Jacobus Revius. Ex his ceteroquin liquet, concursum Dei non consistere vel in donatione novae virtutis, vel in motione, excitatione & applicatione ad agendum, vel denique in actionis determinatione. Quandoquidem his modis omnibus concursus praecederet actionem, h. e. cooperatio foret praecooperatio. Ac speciatim primo donatio illa virium novarum ad agendum est absurda. Virtus quippe donanda non posset alia atque creata esse, quae porro indigeret concursu seu donatione alius virtutis atque sic in infinitum progredieremur. Porro motio & applicatio ad agendum, quam *Thomas 1. 2. q. 109. art. 1.* Capreolus insuper, Ferrariensis aliique defendunt, probari non potest. Namque Deus, ut causa universalis, non in causam secundam operatur, sed cum ea. Ut, deficiente spatio, argumenta non cumulem, monere satis est, hanc motionem & applicationem ad agendum evertere libertatem humanam, & esse supervacuum, cum res agentes habeant satis ad sese movendum virtutis. Patet itaque, quomodo philosophorum regulae; Causa secunda non agit, nisi mota a prima; Causa secunda applicatur a prima ad agendum, explicandae. Minime omnium stare potest determinatio Dominicanorum & Calvinistarum, quorum causam acerrime egit *Adr. Heereboord Meletem philosoph. Vol. I. Diss. 7. 8. 9. 10. 11 & Vol. II. Diss. 17. 18. 19. 20. 21.* Quem propterea omnibus praefert, licet hic ab eo dissentiens, *Petrus Chauvin de Relig. Nat. cap. XVII. p. 212.* Certe haec sententia in utrumque offendit scopulum hic maxime cavendum, praeterquam videlicet, quod homini libertatem omnem & exercitii & specificationis aufert, sicut adversus Chamierum egregie ostendit *B. Paul. Stevogtus de indifferentia voluntatis humanae. Diss. IV. thes. XX. p. 641. seqq.* De sanctitatem labefactat, qui hoc pacto non potest non causa dici peccatorum. Quaeritur interim, sitne concursus Dei indeterminatus & per influxum causae particularis demum determinandus? Vulgo affirmant, causam universalem ob id describentes, quod sit, quae influit influxu ex parte sui ita illimitato & indiffe-

renti,

renti, ut simul eodem modo in plures specie vel genere distinctos effectus influat seu influere possit, *B. Stabl. Tab. Metaphys. XI f. 14* quem sequens *B. D. Alberti* & occurrens difficultati, injuriosam Deo videri determinationem, respondet in *Discurs. ad dictas Tabulas*, eam consistere in solo usu vel abusu, neque Deum intrinsece afficere. *B. Jac. Thomasius Phys. cap. III qv. 13 seqq.* illam determinationem omnino improbat, eamque ortam suspicatur ex falsa Aristotelis opinione, Deum concurrere ad sublunarium generationem actione non libera, sed necessaria neque posse aliter agere, quam fert materia. *B. Scherzerus System. Theolog. L. VI §. XII* dicit, influxum Dei esse in se & subjective singularem & determinatum, sed non determinantem objective. Nec desunt, qui determinationis vocabulum plane explosum cupiunt. Sed sicut postremi faciles fore videntur ad admittendam determinationem recte explicatam: ita priores duae sententiae per tertiam, mea quidem opinione, conciliari possunt.

VIII. Dei concursum communem ob finem evenire, & antiqua sapientum regula docet, vi cuius Deus & natura nihil faciunt frustra, & ratio evidentissime firmat, qua nullam causam sine fine causari, & in Deum sapientissimum sigillatim temeritatem nullam cadere, cognitum habemus. Spinozam impium, id negantem, & omnia alia hic turbantem, non moramur. Qvis sit finis ultimus, fugere neminem potest, si quidem ob suam gloriam Deum agere omnia constat. Intendit vero suo concursu imprimis gloriam bonitatis, sanctitatis, potentiae & perfectionis. Intermedius est agentium commodum. Vbi quaeri potest, sitne Dei & causae secundae, quorum eadem actio, idem etiam finis proximus. Quantum ad agentia naturalia, ea omnino ob finem agunt certum, licet ignotum sibi, nam Cartesius sine causa idonea *Parte I Princip. n. XXVIII* omnes causas finales e Philosophia Naturali tollere conatus est. Cum vero haec necessario ac determinate agant ob certum finem, Deusque ipsa ad eundem condiderit, genitricemque facultatem dederit & conservet, videtur etiam concurrere eundem finem proximum intendere. Sed de agentibus liberis minus expedita res est. Nos Deum, quatenus agit, ut causa universalis, & hominem, causam particularem, regamus habere eundem finem proximum, quia non Deus, sed homo ad certum objectum determinat actionem, quae determinatio supponit finem certum ab homine intentum. Sic v. g. Deus & fur concurrunt ad extensionem manus, hic intendit acquisitionem rei alienae injustam & turpem, & ob hunc finem ad alienam rem extendit manum: Deus vero, qui ad idem objectum non determinatur, nec potest eundem intendere finem. Si dixeris, fortasse Deum hic & in similibus actionibus pravis concurrere sine fine: ita esse negaveris, Deus quippe adhuc concurrat ob furis commodum, quamvis, quia fur abutitur extensione illa, sine suo excidat. Sic in actionibus bonis Deus, quatenus causa universalis, intendit quidem eundem finem generalem, proborum commodum & salutem, non tamen determinate proximum eundem. Homo etenim solus pro fine singulari a se intento determinat actionem ad objectum: Deus, relinquens illi libertatem exercitii & specificationis, sequitur determinationem voluntatis humanae, quoniam ideo Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, & non, quia Deus agit, ideo voluntas agit.

Ideo dicitur Deus magis proprie coagere voluntati, talem actum causando, quam voluntas coagere Deo.



94 A 7368

ULB Halle  
002 928 582


3



10 17







Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

6

EX  
NATVRALI  
RSV DEI,  
SIDE  
ANO BVCKIO,  
Alum. Elect.  
NDENS  
ORBIGERVS,  
-Variscus,  
*Calendas Octobreis*  
disputabit.  
BERGAE,  
CHRÖDTERI, Acad. Typ.

*Suppl*